



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Præsentationis Deiparæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

IN FESTO  
PRÆSENTATIONIS DEIPARÆ.

I.

*Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, Luc. 11.*

Videtur Christus his verbis majorem Matri suæ laudem dare, quod audierit verbum Dei, quam quòd fuerit Mater Dei. Profectò Maria vix trimula Spiritus Sancti instinctum secuta festinavit ad templum, in eoque imbuta verbo Dei sollicitè illud custodivit, relicto nobis saluberrimo documento, citò & maturè inchoandum esse virtutum christianorum exercitium, quia sic earum usus fit facilior, manet durabilior, evadit utilior. *Mense VII. Disc. 187. pag. 76.*

2.

*Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei. Luc. 11.*

Correxit Christus his verbis opinionem mulieris exclamantis, quæ Deiparæ beatitudinem reposuit in eo, quòd Christum peperisset. Hic verò defendit matrem suam, atque ita, ut non solâ Christi generatione, sed etiam auditione & custodiâ Divini verbi excellere nosceretur. Tanto justior fuit hæc defensio, quanto spiritualia præcedunt temporalibus. Vitiosè defenditur, ejus patrocínio justitia post-

posthabetur. Si ergo alterius defendendi officium suscipis, vide, quem defendas, quare defendas, & quos hæc defensio sit fructus prolatura. *Mense IX. Disc. 274. pag. 484.*

3.

*Extollens vocem quædam mulier de turba,  
Luc. II.*

Attonita miraculorum magnitudine, inflammata doctrinarum sanctitate mulier hæc, oblita sexûs sui verecundiam, exclamavit in media turba & beatificavit Deiparam. Excusatione, inò & laude digna erat hæc exclamatio. Quomodo verò illi excusabuntur, qui extollunt vocem suam inter homines, ut aliorum sermonibus contradicant, & ferant jurgia? Ne in hoc vitium incidas, vide, quare de causa contradicas, & quo modo? & quid ex contradictione tua oriturum existimes. *Mense VI. Disc. 170. pag. 292.*

4.

*Extollens vocem quædam mulier de turba,  
Luc. II.*

Plena est S. Scriptura sententiis multiloquium damnantibus: *In multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10. v. 19. Vel in ipsis fæminis, quarum tamen arma in verbis sunt, turpe est loquacitatis vitium; multo turpius in viris; hoc enim nos hominibus odiosos, Deo invisos facit. *Mense VIII. Disc. 235. pag. 357.*

IN